Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 551
Quelle:
Copyright:

In Librum Numerorum. Legitur in edit. *Maur. Opp. Origenis Paris.* 1733. T. II. p. 354.

II. *fol.* 3. *Omelia XX. III. de eo quod scriptum est munera mea data mea et de diversitatibus Festivitatum.* Initium: *Si obseruatio Sacrificiorum et instituta legalia que in typo data sunt populo israel* &c. Sequitur priorem etiam in *Edit. cit.* p. 356.

III. *fol.* 6. p. 2. *Omelia octaua* (pariter in Numeros) *de his que ab exploratoribus renunciantur et de indignatione domini ac de supplicatione Moysi.* Initium: *Duodecim missi sunt inspectores ex filiis israel ad considerandam terram* &c. Extat edit. *cit.* p. 293. Omnes tres integrae et probae lectionis.

Subjecit illis quidam Possessor Sec. XIII. Titulos Librorum Bibliothecae suae: *Sunt mihi Libri.* Hos inter minus noti: *Alexander*, quem puto *de Villa Dei* Grammaticum, *Gnosticon*, fortasse *Hypognosticon* olim *Augustino* tributum, *Icmarus*, putem *Hincmarus Rhem. Adalgerus ad Nonsvindam*, qui in *Cod. Tegerns.* et apud *Pez. Thes. Anecd.* T. II. p. 19. *Adelberus* dicitur. Vide *Cod.* CCXL. *Versus Wernberi*, quos ignoro. *Sententie deprauate* et *Sententie nigre*, quaenam hae? *Bernoldus de diuinis officiis*, cujus extat *Ordo Rom.* compilatus circa an. 1089. In universum Bibliotheca haec censebat Volumina XLVII.

IV. *fol.* 9. *Excerpta de libris sancti gregorii pape in prouerbia salomonis.* Non scripsit in *Proverbia Gregorius*, sed multa *Proverbiorum* Loca in aliis suis Operibus explanavit. Ejusmodi Explanationes biblicas ὁδὸν παρεγγυν ab eo datas in *Libros* redegit *Paterius Gregorii* familiaris, *Ecclesiae Rom. Notarius et Secundicerius*, apud quem Nostra *Librum* XII. constituunt, ut videre est in Edit. *Maur. Opp. Gregorii Paris.* 1705. T. IV. col. 281. Nulla tamen in *Cod. Paterii* mentio, qui sic orditur: *Cum Simplicibus sermocinatio eius. Deo enim sermocinari est per illustrationem sue presentie humanis mentibus archana reuelare* &c. Itaque nec *Opera Gregorii*, unde Explanationes hae decerptae sunt, citantur, ut in *Edit.* Ceterum non deest lectio, quam praeoptes. Ita mox sub principium in illud: *Omni custodia serva cor tuum*, quod exponitur L. XIX. *in Job. n.* 33. malo cum Nostro: *fortibus cingatur muris, intus omni muniatur custodia* &c. quam cum Edit. *insomni muniatur custodia.* Ad calcem totus adtexitur locus e L. V. *in Job*, quem etiam in *Ms. Vaticano* haberi memorant Editores.

V. *fol.* 14. absque Titulo *Expositio in VII. Psalmos* dictos *Poenitentiales Heriberti, Hariberti, Eriberti, Euberti* Episcopi *Regii Lepidi* in *Italia*, de quo, cum Literatores fileant, congeram, quae legi. Omiserat illum in serie Episcoporum *Regiensium Ughellus*, ejusque primum in *Append. T. V. Italiae sacrae* meminerat.